EPISTOLA

FAMILIARIS, IN ARTE MEDICA APPRIMÈ NECESSaria, de venæ sectione, in morbi statu.

(?)

AD CLARISSIMVM DOCTOREM SIMVLQVE SAPIENtissimum Ioannem de Luna Vega, Medicum Hispalensem, ac olim primam Appollineæ facultatis cathedram regentem suum antiquum amicum ac conterraneum; coæuumq; discipulum Licentiatus Andreas Florindo Medicus Astigitanus ac tribunalis sanctæ Inquisitionis decurio.

(✻)

¶ *Hispali excudebat Ioannes Leonius.*

Anno 1607.

LICENCIATVS ANDREAS FLORINDO, MEDICVS ASTIGITANVS, CLARISsimo Doctori, simulq; sapientissimo, Ioanni de Luna Vega, Medico Hispalensi, ac olim primam Apollineæ facultatis Cathedram regenti, suo antiquo amico, ac conterraneo, coæuoq; discipulo. S.

QVANQVAM MECVM IPSE, Integerrime Doctor, libenter statuissem, quidquid tu, macte virtutis vir, in quauis nostræ facultatis materia, scriberes, me æqui boniq; cõsulturum, & quas tipis mãdares proprias sententias, pacato animo amplexurum: quod me & antiqui amoris nexus & bonarum tuarum litterarum auctoritas ad hæc coegerint, attamen, circa hanc, quam de non secanda vena instatu morbi, exercitationem ad me misisti, non potui non, ad te (licet præceptoris loco semper habui, habebuntq; singularis tui ingenij dotes, apud me maximam auctoritatem) aliquantulum dissentire. Traxit me ad hoc inuitum fermè ac repugnantem, viua ædiscendæ veritatis cupiditas, traxit me, quam erga Vallesium aliosq; clasicos auctores, habui concepta opinio, moueor & in super pœnitentia adductus, non instar eius, quam habuit fictitiam & fucatam, ille æternæ veritatis scellestus proditor, sed vera certa, ac fixa. Nã si tuis firmissimis rationibus Galeniq; auctoritatibus, pro stabiliẽdo tuo dogmate. Adducor ad credendum, me a iuuentute erraſſe, & a certa veritate discessisse, quoties instatu morbi sanguinem missi (missi equidem pluries) & hoc quia nõ nocturna, diurnaq; manu, libros Gale. euoluerim, mea iam in ultimam vsq; senectam intereſt, cortædio ac mestitia afficere, & dolorẽ alta mente reponere, quid hucusq; egimus, quid deinceps agendum vt hominum saluti in posterum prospicientes, simul nostræ co'ncientiæ, tibiq prudẽtissimo magistro, viã veritatis verè docenti, satisfaciamus.

Sanguinis missionis,quæ inter omnia artis instrumenta ab Hypo. de humor. tex. 12.nomine auxilij meruit insigniri, tanta est vis,tam salubris in medendis corporis malis, est eius effectus,vt sanationes Galę. vocauerit,quod Hypo.remedia. Tantum hoc saluberrimum auxilium simulq; generosissimum,quod & securitate & primatu & iurisdictione,purgationem multis nominibus superat, eum ab ipsa natura veterrimis fluxisset,pulchræ satis,de eo dixerunt sanguinem scissa vnea mittere nouum nō est & quod ipsi putarunt, nouū esse omni fere morbo competere, nostra ætas vetustissimū judicabit quia ritæ ac congruæ & exartis preceptis antiquis,omnibus fere conuenit.Ob id,merito apud medicos multiplex dicitur,nam modo hac,modo illa ratione multifariam multisq; modis,omnibus prodesse compertmus. Vt recte deducitur ex Gale.3.de locis affe.c.6.qui post quam docuit, *Melancholiā tripliciter fieri;aut redundante melancholico succo,in solo cerebro aut hypocondrijs,aut in toto corpore.* Addit veluti per transenam, *Atq; hæc doctrina,non paruum habet,in curatione momentum, si quidem vniuersum corpus,sanguinem melancholicum continet,curationem a venæ sectione incipire oportet,vbi solum cerebrum infirmius,* Quod ad hanc dispositionem attinet, *Sanguinis detentione non indiget. Quamuis ob aliam quam piam causam,sanguis mitti possit.* Si enim euacuans est auxiliū, & euocans,& reuellens, & deobstruens & refrigerans,& anteuertens mala,& tentans sine nocumento,quem morbum a quauis materia pendentem,assignabis in quo eius non pateat .vsus? nam in phrenitide asola bile in lethargo a sola pituita, in erysipelate cerebri venā secant Galenus, Paulus, Trallianus,Auicena,& Zoar & quamuis, *Gale.6.epy.p.3. com.43. non esse detrahendum humorem per venæ sectionem statuat,quando iam insigniter ad alterius humoris naturam conuersus est,sed solum quando sanguis est copiosus*, Constat autem hoc dici indicatione ab humoris specie,ob quam in ijs mitti sanguis,in illis ex purgans medicamentum dari debet. *Verum hoc nihil prohibet*,(verba sunt.Valle in eodem loco,*quin in eis etiam quibus mutata sit eius species mittatur aliquādo sanguis*,Secūdum alias de mittendo sanguine preceptiones,hæc compendio retuli quia mihi vtilia videntur, & si ab alijs diffuse satis tractantur noster labor nostrumq; opus erit quod maius facesit negotium nostrasq; vires superat maiori indagatione per quirere,an hoc tanto præsidio,ritè ac rectè in omnibus morbi temporibus, vti possimus? an illo abutamur status,& declinationis tempore, vt in.3. &4. conclusione

clusione tuæ exercitationis mirifice probas.

Si nos non oporteret, transgredi terminos quos posuerunt patres nostri nam fere semper fociantur, *no verdad y nouedad*, quorũ fide authoritate & experimento, tota medendi ars stabilita est, non est quod vnus aut item alter sub obscurus Gale. locus, nos conturbet, vt a vera & vsitata medendi via semoueamur nam preter hoc quod est contra tanti auxilij authoritatem & necessitatem, velle instra duos tantũ limites, coercere manca in super erit & inops ars, quæ illum e medio tollat, si citra principium & augmentum, magna se offerat occasio. necessario id ipsum &nõ aliud auxilium ex postulãs quorsum illa luce meridiana clariora Gale. verba l. de sangui. missẽ. c. 20. *Quocumq; etenim die mittendi sanguinem scopos, in ægrotante inueneris, in eo præsidium hoc adhibetur, etiam si vigesimus dies ab initio morbi fuerit*, Quem terminum ad quadragessimum diem extendit Aui, forsam Gale. designauit vltimum acutorum simpliciter & Auic. acutorum ex decidentia. phrasis est horũ omnium auctorũ vsitatissima. Ad mentem Hypo. loqui. *In morbis acutis sanguinẽ detrahes & cetera*, in hoc tex. illud est certissimum, & indubitabile opinor, quod illud verbũ, *quocumq; enim die* (quod AEtius, transtulit, *sequentibus diebus*) nullum morbi diem excludit, in quibus, si est possibile inueniantur illi duo necessarij scopi, neq; tu integerrime doctor inficiaberis venæ sectionẽ. Nam & si verissimum est. Quod temporis progressu amittitur occasio. sanguinis educendi, non ratione dierum primo, sed intercedente alio virium nempe dissolutione, magna ex parte labuntur vires durante morbo, sed quia non semper. Ob id doctissimus Mena. Quanquam hæc attendi debeant à perito medico, non adeo deterreri debet, vt si adsint scopi, qui cogunt ad sanguinis missionem, distringi, atq; anxius esse debet.

In hac difficultate si probauerimus. Ex sententia Galen. quod sanguis mittatur cocta atq; euicta materia, quod instatu accidit, & quod hoc ipso tempore adsinvires non prohibentes venæ sectionem, omnis tuæ imaginationis vis corruet. Si instatu morbi nõ adsunt vires ad sanguinis missionem, neq; ad purgationẽ possunt adesse cum vtraq; auxilia æquas vires ex postulent post habita sententia doctissimi Menæ maiores requirentis, sed perte ex Hypo. & Gale. materiæ concoctæ atq; euictæ, statim debetur purgatio. ergo in casu necessario debetur sanguinis missio. & quãquã Gale. ipse nos docet vitalis facultatis robur per pulsum metiri, ita

 vt tactus

vt tactus simul cũ ratione sit iudex huius negotij,l.de sangui. misse.c.6.& sic remanet hæc causa vnicuiq; conjecturalis,*fuerças ay, o no ay*, attamẽ probatur ex verbis Gale.adeo lucidis vt calũniã nõ patiãtur.licet pretermissa sint cũ patmsintobuiaveluti alter Gale. locus de optima secta.*Morbo autẽ cõsistẽte*,inquit.2.apho.com.29. *superfluũ est euacuare,cũ propter alia,tũ quia vis animalis magna ex parte eo tẽpore est fatigata*.Ergo non semper,sed ad rem,licet quam maxime duæ aliæ vitalis ac naturalis fortes persistant. quid obsecro clarius?si enim non persisterent fortes.quo pacto ad victoriam vsq; conquoquerẽt?quo pacto præscriberes purgationem hoc tempore familiarem?sed ex his omnibus ad sanguinis misionam quã requirimus.

Sed pergamus demonstrare ex sententia Gale.posse.& debere cocta materia sanguinem mittere.& sit locus,pro omnibus, vnicus.l.artis medicæ.c.88.*Esto enim si ita contingerit, in humoribus putrescentibus accendi febrem,indicatio in huiusmodi,quia euacuatio atq; alteratio,hæc quidem,quæ putredinem finiat,manente substantia, euacuatio vero quæ totam e corpore substantiam educat,sed dicta quidem alterationis spetics, concoctio existit*. Itaq; prius debemus conoquere materiam febrilem: ad cuius preuiam dispositionẽ pertinet in principio minorare,ne natura onere pressa,succumbat, vel sanguinis missione vel purgatione vel vtrisq;, pro rei indigẽtia oportet de obstruere,abscindere,corpus quieti permittere,vngere æqualiter contegere.cocta iam materia & superata quid agendum? illam, que ad begnignã, vt aiunt,reduci anatura non potuit,e corpore pellere,quibus instrumentis? leges statim Gale.multo aliter actu doctisime doctor, rem disponentem, nam subdit, *Euacuationes autẽ fiunt & per sanguinis missionẽ,& clysteris vsum,& per vrinæ vias, &c*,Ad hoc genus pertinet citare menstrua & hæmorroides aperire,ex quo loco non parua lis est inter auctores,& expositores quomodo pretermisit ex purgationem,quamtu solam cocto humore debere ais,sed quia large doctisimus Vega. Aloysius Mundella,&Lemosius,eã disputant.lubens pretereo,sat est scire quod infebribus continuis suspecta est,ita vt raro eis competat, sed ad rem has omnes euacuationes,quo tempore morbi,Gale. prescribit?*In principio & augmento* absit.quin post,*conquoquentia, euacuantia* deffinit.quod optime confirmat AEtius. c. de sangui. miss sequutus doctrinam vniuersalem Hipo.1.*Apho.senten*. 20. *esto quod natura nõ integre moueat instatu morbi per menstruas purgationes, quia*

lente

lente mouentur sitq; suum debitū tēpus & tamē motu & perturbatione. l. excandescit febris l. nihil remisit siue intercisionis, nō ne licebit medico ex talo sanguinem mittere siue menses fuerint moti, siue hæmorroys aperta, totum negotium naturæ permittito, si vero non tantum quantum oportebit euacuatū fuerit, tunc venā secato, quo ex vtrisq; compositu perficiatur, quod cōuenit, Si enim natura mouet, qua nō oportet nonne corrigenda venit, qua opret? quia si per sanguinis vomitū aut mictū, quis formidabit vene sectionē in statu, si sanguinis fluore diminuto per narem in jecorris inflāmatione aut in causu, quis similiter illam renuet? si natura conatur expellere humorem & non expellat, superueniāt q; in conatu simptomata periculosa, vt quotidie experitur inuariolis & morbilis, quorum materiam natura valde grauata conatur expellere, & non expellit, quis non eam, sanguinis missione adjuuabit? vt potentior reddatur supra residium, quæ omnia complexus est Auice. vnico verbo, *Si natura non mouet, mouetu hora motus eius, aut saltim postridie*, vt notat Gentilis 13. cap. 3. & sic possumus legere vt Mena. *Si natura non mouet hora motus eius, moue tu.* Et non solum propter assig natā causam sanguinē mittit Auice in statu, sed ob permixtionem humoris cum sanguine vt c. de quartana. seu. 14. *cum ergo ægritudo digesta est. tunc bonum est phlebotomare ex basilica dextra aut sinistra. secundum indigentiam*, in quo loco hæc Harculanus aliquando sanguinis missio negatur in principio, quæ conceditur in processu, quando materia per digestionem est subtiliata admixta sanguini, & tunc vrina efficitur rubea grossa, & hoc dictū est. 4. 1. c. de plhebot. & a Gale. l. de plhebotomia, quid moror, perpetuæ igitur veritatis est in doctrina Hipo. & Gale. morborum tempora nunquam indicare, aut postulare conducibilia, neq; exse edocere quid faciundum sit, nisi interuentu alterius, nam l. de opti. sect. ad Trasi. lōga oratione refellit eos, qui *tempora indicare asseuerabant*, probatq; *tempora idonea auxiliorū inde accipi, quādo expostulantia ad sunt, absunt vero prohibentia, ob idq; in principio morbi, sua est maxima, & precipua occasio.* Sed pot. contingere quod instatu ad sint affectus ex postulantes, & vires fortes non prohibentes, vt diffusè admodum probauimus, ergo hoc ipso tempore exercēda est, quæ omnia mirifice comprobat. doctor Mercedo prothom. l. 1. de indicatione cōmu. c. 4. fol. 198. *Non capit intellectus* (post multa ad hanc rem) *qua ratione dum ob aliquod in cōueniens pretermissum fuit, debitum euacuationi tempus mitti dein ceps non possit, presertim cum maius sæpe immineat periculum, morbis*

perperam in principio curatis quam ij qui ob iustam causam poscunt procrostinatam sanguinis mirisionem, ob id presentibus, aut instantibus, criticis accidentibus, sanguinem non mittes, in alijs temporibus aut accidentibus, sanguinem non mittes, in alijs temporibus aut accidentibus, poscente vsu, & facultate consentiente libere id facias, Hoc idē perstrinxit Valle. libello illo methodi. omni laude dignissimo, non est tamen ab alijs temporibus reijcienda, si adhuc necessitas vrget. & quod vir ille accerrimi ingenij (sic eum nominat Collado, & ego mihi persuasus sum, quod populus medicus qui ambulabat in tenebris, ab eius scriptis, vidit lucem magnam,) libro illo aphoristico exarauit, multis alijs in locis larga oratione probauit, & sic prudentisime amice si non piget legere, accede adeum probantem 4. de ratione vi. arcuto. vbi curationē febris ardētis legitime, propter morē solitum, ad amusim per sequitur. ibi. *Sanguinem mittit, par cè in principio, copiosam in fine* quia vtrumq; scopum, in ea posse in veniri, probat. 7. contro. c. 8. quod si medicus est imitator natnræ rectè operantis, eaq; fluxu sanguinis nariū largiter, soluūtur multa ex Hypo. 2. epi sect. 1. text. 16. & in ipsa de qua agimus curatione, tex. 10. *Et si enaribus fluxerit sanguis soluitur ægritudo.* & 1. epyd. set. 3. tex. 20. *fuerunt autē febribus ardentibus, hæ passiones quibus bene & largiter sanguis ex naribus fluebat, ob hanc causam maxime, seruabantur, & nullum scio bene si sanguis fluxisset, in hac constitutione mortuum esse, & tex.* 33. eiusdem operis. *in. 4. precipue signis seruaban tur, in hac cōstitutione, quibus ex naribus fluebat, &c.* Et paulo inferius *quibus autē aut horū aliquid bene fiebat, aut muliebria largiter apparebant, per hæc seruabantur, & iudicabantur, & nullum noui mortuum, eorum, quibus horum aliquid benefiebat,* quæ iudicationes coctō humore inquit Gale. in co. superius citato ex. 4. de ro. vi. debent superuenire, vt morbū sanent. cur inquam si medicus est imitator naturæ rectè operātis. 1. apho. com. 2. ipsam neq; rectè aut cōgrue operantem, non adjuuabit? Heraclides & alij per multi æruginosi. 1. & epi. p. 3. text. 22. etiam quod peius erat, & fere mortiferum. 6. *die, nō ne ab orci faucibus erepti sunt, cū sanguis enaribus largiter fluxerit,* ecce innumerabiles morbi, a sola cacochimia orti, adjuti, non ex purgatione, sed sola sanguinis misione, post coctionem eueniente quia si peccans materia, sanguine permiscetur in venis, quod dum coctio viget fit, cur hæc secta vena, non pariter foras exiliet cocta iam & superata. quid refert, sit euacuatio à natura vel ab arte, cum vtraq; ad suas obeundas euacuationes, fortes vires re-

res requirant,alioquin in crisi optima, ob fluxum immoderatum succūberet eger,& esset pugna Cadmica,presertim,quod sanguinem euacuans vel ars,vel natura omnes quatuor humores simul euacuant,qua ratione Trallianus cum Aetio c. de melan. 17. *Nihil igitur minus iuuabis ex quacumq; parte sanguinem detraxeris, cum omnia simul euacuentur tex.* Hipo.dicente.*Confluxus vnus,conspiratio vna,omnia consentientia.* Ex quibus omnibus non inualidum sumitur argumentum,si ex hoc quod euacuationes symptomaticæ aliquādo prosunt, vtimur in principio expurgantibus medicamētis, vt fere omnis medicorū schola probat,cur euacuationes sanguinis criticas,quæ semper prossunt non insectabitur medicus?sicuti vt semper adhortatur,inquit Gale.1.apho.c.2. *Vt quæ rectè anatura fiūt medicus imitetur,ne sectatores simus delyri Erasistrati,qui nec sanguinis fluores potuit imitari.*

Ex dictis,vel mihi cæco est apertum,quam euidenter & summa cum monstratione concludit Gale.9 metho.*In continentibus, nullo non tempore,sanguinem esse mittendum*,quia cum tempus non desig net auxilium,vt ab ipso dictum est, *Presentibus Duobus scopis*, quocumq; tempore morbi,sanguis mitti debet,absentibus vero,neq; *in principio*,& quia morbus a suo principio prosternit vires,& quā to magis pernuctatur tanto magis labascunt,ob id Gale. quoties precipit sanguinem mittere,semper addit,*si adsit virium robur.* Nā ad medicum singularem,arteriam tractantem,pertinet tale iudicium.

Sed quia rationes & auctoritates,quas ad probandam tertiam conclusionem adducis (eruditissime doctor) ita te persuasum tenēt,vt a communi ni fallor,& vulgatissima praxi, digrediaris, non equidem vulgares sunt, & momentaneæ considerationis, & quæ non meum in becillem sed altiorem intellectum, pro earum dilutione, efflagitabant,attamen,vt tibi ab ortu fere amico,morē geram,mihi iubenti quid de loco illo Gale.2.apho.com.29.sententiam.sic exordiar.

Interpretatio Gale.ad litteram tantum intelligitur de morbis salubribus,nam inquit,*In quibus speramus ægros conualituros*. Cum enim ipsa natura potens est illos superare,ope medica non indigēt.ob id Gale.*Neutrū oportet adhibere,quia superfluum est euacuare*, Nam tā simplices possunt esse pleurithides,& si legitimæ,vt neq; ad venæ sectionē nos cogant etiam presente sputo sanguinis. 6. epi. p.3.com.vltimo.*Coctio equidem quæ procedit in humore qui corri*

B gi pot.

*gi potest,& ad begninum reduci est illa quæ facit cessare putredinē, manente substantia,& quādo morbus summe coctus est, iam ad sanitatē perductus est,pro hac causa neutrū oportet adhibere nisi aliæ indicationes & vtilitates insurgant,*Et quod doctrina Gale. non sit vniuersalis in hoc loco vel ex ipso constat,prohibente simul in statu sanguinis missionem,& ex purgationem,& dubito qnomodo ex duobus simul exclusis,damnes vnum,prædestines alterum.Nā vt ex Hipo. probas, *Concocta medicari,*solum concedis *instatu purgationem.*

Gale.vero.9.metho.curans febres synochos,cum periculū maximum minentur,vehementissimæq; sint.Ob id in quocumq; tempore morbi vel vsq; ad animi diliquium sanguinem mittit, imo cum sint harum febrium tres species,in qualibet earum, verificatur nostra veritas, nā in omotona, quæ incipit ab vrina cocta,& totum eius sensibile tempus,status est,videas obsecro an sanguinem mittat,necne?

Multo plus,me judice, torquet locus alter Gale.de optima sectadTrasi.c.40 & 41.vbi vniuersalioribus rationibus probat,*quod in morbi vehementia,quiescendum est, quia facultas valde laborans ad huc remedijs adhibitis magis opprimatur,& proprijs opibus direptis infirmior reditur, & lædentibus causis magis succumbit, morbiq; authores nullatenus expellere potest,* Quam rationabilem sententiam libenter amplector obseruaboq;, dum non casus aliquis interuenerit, maius afferens periculum,quam ex oblatis remedijs in ipso vigore,nam & tu ita vniuersalissimam,& inuiolabilem judicabis sententia'n Hipo.1 apho.tex 8 *quando morbus in suo vigore consistit, tunc victu tenuissimo vti oprortet.* Quam probat Gale.sicuti preteritā,eisdem fere verbis,propter casuū magnitudinem,&quia nō oportet distrahere naturam ad alteram coctionem,sed neq; auctorum neq; regularum authoritati detrahunt idoneæ exceptiones,quo circa Gale.in eodem loco *In ipso etiam morbi vigore vbi casus aliquis interuenerit,robur naturæ dissolues, nutrire cogimur,* Quid est perpetuū in arte? quid est, quod aliter fieri non possit?

Verum si Paulo sublimius & exactius, rem istam cōtemplemur inueniemus etiam apud Hipo.& Gale.non omnia cum consistūt ac vigent,fortiora esse,nam quamuis l.de opti.sect.adTrasi. dicat *at morbi summus impetus facultatis imbecillitatem manifestat,tūc enim causæ valētes sunt,facultas vero lāguida (nō vitalis neq; naturalis,* dictum est antea. *) ideo quiescere jubet*, sed neq; hæc littera vt jacet est intelligenda neq; in vniuersum, nam, est autem, *Quibus incipiense*

incipiens mitius, crescit, & exacerbatur, & quadantenus aucta rursum subsistit, circa juditiū & vsq; ad juditium, Accidit autē, hæc fieri in omni febre, & in omni morbo. 1.epi.p.3.tex.45. & 46.quo loco probat ex professo Valesius, *qua ratione fieri possit vt febres quædam circa judicium, & simul cum judicio, extenuētur*, & Christophorus a Vega.2. de diffe.febr.com.17. *Quidam vero morbi sunt, in summo vigore minores, in quibus humor non seruatur ad judicium, neq; aceruatur ad suppurationem, vt morbus lateralis, & omnes inflammationes, quæ membrana integuntur tenuiore, à quibus perpetuo aliquid resudat, & multæ febres, quæ ante summum vigorem diminutas quasdam efficiunt judicationes, & in quibus humor sensim discutitur, ac diminuitur vsq; ad finem,* In horum morborum summo vigore, cum non omnia sint fortiora, nemini dubium erit, quod tunc neq; causæ valentes sunt, neq; facultas languida, cū iam non tanto onere pressa, coctione & euacuatione leuetur, si inhoc statu, inquiro, accidat, quod fere frequēter accidit, (ea est natura morbnrum acutorum vt non sint tutæ prædictiones salutis & mortis) vt pulsus humor qua, vel quo non cōueniat, vel iam minetur abscessum ad superiora vel phrenitidē vel fluxum sanguinis narium diminutum vel superfluum, vel hemorroydas dolore egros torquentes vel menstruas purgationes similiter diminutas, quis adeo timidus, hoc ipso tempore venæ sectionem formidabit, spectatorem naturæ, & non imitatorem & adjutorem, vt decet se ostentans?

Authores classici, quos citas, sequuti legitimam, & ordinariam curationis viam, sanguinem copiosum in continentibus, in principio demunt, & cum ad sunt euidentes coctionis notæ, non negantes neq; probibentes venæ sectionem, ad frigidam se conuertunt, sed quia non in omnibus, neq; semper tuto exhiberi potest; sed maximo cum periculo, tot ac tanta sunt a Gale. proposita impedimenta.l.9.metho.c.5.ob id caute Vallef. *Quando dictorum aliquid desit, vt minus dari possit copiosus aquæ frigidæ potus, tunc in ardentibus sanguinem mittit vsq; ad animi delliquium*, Et Aetius repetens ipsissima Gale.verba. *Non solum sexto, & septimo die venam secabis, sed sequentibus etiam diebus*, quos tu, domine doctor, non oporteret intra priuatum tēpus coerceas, sub pretextu impossibilitatis virium, nā & nos ipsis presentibus venam secamus, deficientibus vero minimè, & quod tempore status non semper deficiant, preter dicta demonstrant, in fine morborum frequentes hemorragiæ, semper in salutem finientes, & quotidiana experientia, quam ab ipsa

natura sufficienter edocti, habuimus.

Iudeum Isaac, & Barbarum Azarabium, negantes, *in continentibus venæ sectionem transacto principio, & si virtus sit fortis*, tædet aliter nominare, quam ob rem cum Herculano fen.4.1.c. de curatio. febrium sanguinis, in questione huic negotio dicata, dico eos malè sensisse, & sic ad alia vtiliora progreddiamur.

Tertiam conclusionem, (à qua tota vis huius disputationis pendet) primo probas authoritate Aui. *Et cum postponitur phlebothomia non est amplius ei intentio, fortasse interficit propter aduentum debilitatis virtutis*, quæ propositio, vt a contradictione manifesta, ipsum authorem liberemus, ita debet scribi, *Et cum post ponitur phlebothomia, nõ est amplius ea intẽtio*, Et sic verissima est, & ad mẽtẽ Gale. facilis fuit librarij error in vna littera, nam vt optimè interpretatur Hercula, in eodem loco, non est in ea, tanta intentio, quanta fuit a principio quod nos semper fatemur, quia huius remedij prima precipua & maxima occasio, *principium est*.l. de sangui. miss.c. 20. non est tamen preter mittenda in alijs temporibus.

Ad primũ probas hanc conclusionẽ, validis rationibus, & vt ais ex a picibus Hipo. & Gale. desumptis, ac methodo depromptis, quarum prima est. *Medicus in principijs morborum, sanginem mittens, id præstat, vt quod relinquitur, natura expellat*, quam probatione, nõ indigere ais, si verba Gale. adverbum referre licet, fide literq; trãscriuere, hæc sunt, *Melius est circa principia euacuare, quo minorem iam factam materiam facilius natura possit conquoquere, morbo autẽ consistẽte ac vigente superfluum est euacuare*, videas nũc optimæ doctor quã tum hæc Gale. a tua maiori distent, & non raro Gale. multas in principio jugulauit febres venæ sectione, sine alio naturæ adminiculo, quod & nos quotidie facimus, & sic non pereurrũt quatuor tempora. Sed minorem ita statuis, *sed potest contingere, quod tempore status velit medicus sanguinem mittere, vt natura intendens trudere humorem per aluum aut vrinam, suo fine frustretur, similiter & medicus*, De medico ignorante motum naturæ simulq; nesciẽte quibus modis se ipsa exoneret, concedimus minorem, si tamen aliquantulũ in doctrina Gale. versatus est horum, quæ sequuntur verborum, (neglectis libris de crisi. & diebus decretoris) sibi conscius erit. 1. epid. p. 3. tex. 13. sæpius diximus, fieri in accessionibus, judicia. tum quod in ijs humores vehementer moueantur, & veluti ebullientes erumpant sanguinis profluuio, vel sudoribus, vel vomitu, vel dejectionibus vel hæmorroidibus, vel menstruo mulieribus, tunc

tunc preterea quod id temporis ad excernenda illa impellatur natura,simulq; grauata & onore pressa,ad excernēdum irritetur, simulq; illis magis fusis,& excretio noxiorum humorum promptior,& judicium fiat pro cliuius, cum omnibus ijs modis exoneretur natura,quis medicus nomine dignus erit; qui morbo in vigore cōstituto,non linceis oculis, totus sit explorans signa critica quæ antecedere,& viam monstrare solent, simulq; prospiciat, an natura motura est an non,& si mouet integre, an non,qua via, &quo,vt rectè dici posfsit,adjutor imitator,&primus motor eius, aut eius rationis,estu enim quud ad vias vrinæ,trudat humorem, ibiq; vel sua copia vel alia causa, difficultatem & dolorē pariat, nō ne venæ sectio ex talo,ex artis preceptis illam tollet?sit soluēdo per ventrem nimia,ita vt timurē ingerat imbecillitatis viriū, cur venæ sectio ex saluatella(quæ non tantas vires exigit,)propterea quod ad diuersum trahit,secundū plurimum nō ne retinet? quæ omnia pulchræ satis Hipo.& Gale.6.epyd.p.2 tex.& com.8. *annotarunt alium succū,non qui exeat ducere, exeuntē vero vna effundere,si humor infestans excernatur (quid ad rem conducibilius?)cū moderata est euacuatio,id nihil alitud curantē admittere oportet,quemadmodum si immodica est,ipsum medicum aliquid facere necesse est, nonnunquam euacuationis impetum supprimentem, nonnunquam eius tarditatem incitantem,quqd ipse nominauit exeuntem.* En verba diuinissimi Gale a quibus eius interpres Auice.mutuatus est sententiā nuper allegatā,& dignissimā vt à medicis præ manibus habeatur,vt non iure dicas, potest contingere.

Ad secundum facilis est responsio secundum prædicta, quod quando natura perfectè cuncoquit,neutrum oportet adhibere, si ipsa per se sufficiens est pru victoria consequenda, sed quia non semper suficiens,quia oportet præ ire coctionē,subsequi vero dif cretionem,ad quam non semper est potens,ideo pro ratione indigentiæ,artis erit naturæ manum porrigere.

Ad tertium vbi concludis, *Quod maturationi obest venæ sectio, cū propter ipsam non seruetur calor in natus eā necessario efficiens respōdet.* quod intemperies si inmodica est, dejicit actum propriæ virtutis, vt est videre in statu febrium ardentium,& in quauis febre nimia, in quibus destruitur coctio, & magnitudine caloris periclitatur magis homo, quam ex re vlla alia, sed per sanguinis misionem hoc tempore celebratam,reducitur calor ille impensus ad mediocritatem,attemperatur calor,refrigeratur totius corporis habi-

tus,& roborata natura suas exactè perficit crises.

Ad quartum vbi intẽdis probare, *Quod ex natura rei, materia per fecte cocta ex purgationem ex postulat*, Vt ex oraculo Hipo. habetur *con cocta medicari. &c.* negamus maiorem ex ipso Gale. docente l. artis medi. c. citato. *substantiam, quæ manet peracta coctione euacuamus per sanguinis missionẽ, & clysteres, & per vias vrinæ &c.* & quãdo Hipo. dicit, *concocta medicari*, recte dictum est in hoc sensu, quod purgatio debetur materiæ coctæ, ita vt absq; perfecta coctione pharmacis atrahentibus nusquam vtamur, non tamen quod, *cocta materia tantum sit euacuanda per purgantia medicamenta*, Hoc enim falsum est, nam mille modis solet meteria cocta euacuari, vt in epi demijs passim legitur.

Adquintũ respõdetur quod caccochiomiæ, debetur ex purgatio per se & ratione ipsius humoris sinceri, per accidẽs vero, & propter alios vsus non raro ipsa presente sanguinem mittimus, vt in principio huius epistolæ probatum est.

Ad sextum simili modo respõdetur, quod non statim quod humor coctus est, purgandus est, sed euacuãdus est, est coctus ergo purgandus non valet consequentia, bene tamen valet est euacuandus, aut natura l. arte per insensilem trãspirationem aut alijs vijs a Gale. traddiris.

Sed quoniam ab epistolari mensura non Laconica modo, sed & Asiatica iam recessi, justum est, ne tibi integerrime amice, tedio magis sim, finem faciam, & si potuissem plura, circa hanc tuam elegantem & doctam exercitationẽ, in medium afferre sed quod dictum semper putes, hæc ad te mitto, non veluti rem tanto lecto re dignam, neq; vt credam illa tuis meliora esse, ita vt te prudentissimum mutare sententiam eogant (& si prudentiores non raro id faciant) sed ceu pignus quoddam sancitæ inter nos à teneris amicitiæ, non aliud ex ijs quærens, quam vt mutuo me ames, quod vt facias tu, tuiq; quos summo & nos prosequimur amore, iterum atq; iterum rogamus, Astigi. idibus Marci.